

8152.

1370 juli 1.

Bohus.

Kung Håkan av Norge och Sverige kungör att han och hans på Bohus närvarande rådgivare och män för Norges och sina övriga länders räkning slutit ett femårigt freds- och stilleståndsavtal med sändebud från sjöstäderna, de preussiska och livländska städerna samt Kampen och en rad andra städer i väster, med innebörden att dessa återfår alla sina gamla handelsprivilegier i Norge och kungens övriga länder. För Rostock och Wismar skall särskilda villkor gälla: de omfattas av avtalet endast om de avstår från att bistå sina herrar, hertigarna av Mecklenburg.

Utfärdaren beseglar tillsammans med biskoparna Botulf i Stavanger, Halvard i Oslo, Gotskalk (Falkdal) i Linköping, Magnus i Hamar samt drotsen Ogmund Finnsson, Jon Haftorsson, marsken Erik Kettilsson, Johannes Hierne, Narve Ingevaldsson, Ulf Holgersson, Ulf Jonsson, riddare, samt Håkan Jonsson, Herman van Ouwe, Gaute Eriksson, Ludvig Eivindsson, Henrik Mickelstorp, Kolbjörn Kettilsson, Erland Filipsson, Otte Römer och Gert Kind, väpnare.

Orig. [A] på perg (51,1 x 29,6, uppveck 7,8 cm; 29 rader). Norwagica Nr. 49, Archiv der Hansestadt Lübeck.

Avskrift [B] under rubriken "Datum per copiam ex litera regis Norwegie super treugis inter ipsum et ciuitates ad quinque annos ordinatis" i Gemeente-archief Kampen.

Tryckt: LECUB nr 1073; Dipl. Norv. VIII:1, nr 191; Hans. UB IV, nr 357.

Regest: Dipl. Dan. III:8, nr 470 med uppgifter om äldre tryck och regester; Regesta Norvegica VII, nr 48 (båda med felaktigt Norwagica-nummer).

Foto: (av brekets vänstra halva) i G. Authén Blom, Norge i union på 1300-tallet 2 (1992), s. 757.

Ang. mötet, avtalet och de uppräknade norska och svenska rådsherrarna, se Authén Blom, a.a., s. 793 ff.

Om Herman van Ouwes namn se B. Sundqvist, Deutsche und niederländische Personenbeinamen bis 1420 (1957), s. 263.

Se städernas brev under följande nummer 8153.

Texten återges efter A med angivande av viktigare avvikelser i B.

Nos Haquinus, Dei gracia Norwegie et Swecie<sup>a</sup> rex · vniversis et singulis presentes litteras visuris seu auditoris notum esse volumus publice protestantes in hiis scriptis nos in persona propria ac dilectos et fideles consiliarios nostros et homines nunc presentes cum honorabilibus viris, legatis consularibus ciuitatum maritimarum infrascriptarum plenam<sup>b</sup> earundem ciuitatum quoad hoc posse habentibus super omnibus et singulis controuersiis, guerris et dissensionibus alias inter nos / homines nostros / regnum nostrum Norwegie ac ceteras terras nostras / ex vna / ac jnter ipsas ciuitates et earum ciues / mercatores / et ipsorum familiares quoscumque parte ex altera · motis quomodolibet et subortis placitasse / tractasse et finaliter concordasse / jta quod · ex parte nostra, regni nostri Norwegie · ac aliarum terrarum nostrarum, cum consensu · consilio et plena voluntate dilectorum et fidelium nostrorum consiliariorum · recepimus et firmauimus cum predictis ciuitatum legatis pacem et amicabiles treugas jnter nos / vasallos et homines nostros / seruitores et subiectos quoscumque ac eciam auxiliares et quoslibet jncolas regni nostri predicti ac aliarum terrarum nostrarum ex vna necnon inter consules / ciues / mercatores / familiares / subditos / et adiutores ipsarum ciuitatum maritimarum videlicet / Lubeke<sup>c</sup> / Hamborgh<sup>d</sup> / Bremen / Rozstok / Wismarie / Stralessund, [Gripeswold]<sup>e</sup> / Stetin<sup>f</sup> / Kolberghe<sup>g</sup> / et noue Stargardie et aliarum ciuitatum ipsis attinencium. Jnsuper ciuitatum Pruscie, videlicet Kulminis<sup>h</sup>, Thorun<sup>i</sup> / Elbinge / Dantzeke / Koningsberghe<sup>j</sup> / Brunsberghe · et aliarum ipsis attinencium. Eciam ciuitatum Lyuonie, videlicet Righe / Tarbati, Reualie<sup>k</sup> / Perone et aliarum circumuicinarum. Jnsuper et ciuitatum de Mari australi, videlicet Campen et aliarum in dyocesi Traiectensitarum / ciuitatum eciam Zelandie, videlicet Sirixe<sup>l</sup> / Brele / Middilborgh<sup>m</sup> / et Arremyden<sup>n</sup> ciuitatumque Hollandie videlicet Dordraci, Amstelredamme, Enchusen, Wiringhen<sup>o</sup> / ac aliarum in comitatu Hollandie et Zelandie iacencium ciuitatum, eciam Ghelrie, videlicet Herderuik<sup>p</sup> · Sutfanie<sup>q</sup> / Elborgh, Deuenter / necnon ciuitatum Staurie et Hindelop<sup>r</sup> ac inter omnes quoscumque comprehensos in jure et confederacione ciuitatum predictarum et aliarum suarum adiutricum / parte ex altera · / de<sup>s</sup> tempore date presencium vsque ad festum

natiuitatis sancti Iohannis baptiste proxime venturum, et deinceps ad quatuor annos continuos proxime subsequentes jnuolabiliter duraturas, jta quod jnterim et medio tempore poterunt ciues / mercatores, et eorum familiares et quicumque alij ad eos pertinentes regnum nostrum *Norwegie* · ac ceteras terras nostras ciuitates et<sup>t</sup> villas nostras / portus et districtus nostros secure et libere visitare jbique secure morari et abinde secure recedere, quando placet / jbique suas mercaturas et negociaciones, prout ab antiquo et hucusque consuetum fuerat, exercere / ac alia eorum agere negocia vbicumque, quociens et quandocumque ipsis visum fuerit expedire / Debent eciam interim bonis suis et mercibus ac omnibus aliis rebus suis libere vti pro sue libito voluntatis. Nec debent a nobis aut ab aliquo aduocatorum / officialium vel subditorum nostrorum in ipsorum rebus vel corporibus quomodolibet impediri, sed a nobis et ab omnibus nostris fauorabiliter promoueri · cum effectu / Ceterum debent ipsi et eorum quilibet / omnibus suis iusticiis et singulis consuetudinibus / libertatibus et priuilegiis suis predictis ciuitatibus, aut earum alicui coniunctim vel diuisim a carissimo domino nostro et patre domino rege Magno et ab aliis nostris progenitoribus et predecessoribus ac a nobis quomodolibet indultis et concessis · in omnibus finibus ipsius regni nostri *Norwegie* · ac terrarumstrarum quarumcumque vti libere et gaudere / eo modo / quo / ipsis vncquam antea · liberius vsi sunt et gauisi, quemadmodum eciam libertates huiusmodi et priuilegia per se docent. Est tamen per nos et per ipsos legatos ciuitatum jsta, que sequitur, de ciuitatibus · Rozstok et Wismaria placitata et adiecta condicio · vt si illi de Wismaria et Rozstok decreuerint interesse predictis treugis et paci, sicuti inter nos et predictas ciuitates / facte sunt / tunc nobis et hominibus nostris aut regno vel terris nostris aut auxiliatoribus nullum per se aut per suos conciuces vel quoscumque familiares debebunt stantibus treugis inferre noxium vel grauamen · nec debeant medio · tempore / dominis suis ducibus *Magnopolensibus* aliquod contra nos et regna nostra impendere auxilium in hominibus vel navibus vel aliis rebus quibuscumque. Sed si forte domini eorum in predictis ciuitatibus et earum portubus aliquos homines aut naues pro prompta pecunia sua conducerent, seu sibi victualia compararent / huiusmodi homines / naues vel<sup>u</sup> victualia educendo, per hoc predictae treuge infici non deberent / Eciam si contingeret nos cum potencia / terras dictorum ducum *Magnopolensium* hostiliter jnuadere, tunc predicti *Rozstokcenses* et *Wismarienses* possent dictos dominos suos iuuare infra ciuitates et portus suos ac terras / que ad ducatum spectant *Magnopolensem* · per quod eciam predictae treuge non debeant violari. Si vero vellent eis facere assistenciam et iuuamen extra ducatum *Magnopolensem* / extunc debebunt nobis hoc ad quartale anni significare, antequam hoc attemptent. Si eciam treugas huiusmodi sub pretactis condicionibus expressatas nobiscum inire decreuerint, extunc debebunt nobis super hiis remittere litteras suas patentes, sicut et alie predictae facient ciuitates / Preterea · de restitutione pecuniarum et bonorum · mercatoribus facienda et similiter de debitis / ipsis adhuc persoluendis / taliter faciemus, quemadmodum in prioribus nostris litteris ipsis super hoc nuper datis plenius continetur · Premissas jgitur treugas vna cum omnibus et singulis articulis et condicionibus suprascriptis vna cum dilectis et fidelibus consiliariis et compromissoribus nostris / ex parte nostra / regni nostri predicti / ac terrarumstrarum aliarum promittimus bona fide predictis ciuitatibus firmiter et jnuolabiliter absque omni dolo et fraude obseruari · Et nos Botulphus<sup>v</sup> Dei gracia *Stauangrensis* / *Halluardus Osloensis* / *Gotzscalcus<sup>x</sup> Lyncopensis* et *Magnus Hamarensis* ecclesiarum episcopi, *Agmundus Finzson<sup>y</sup>*, dapifer / *Johannes Haffthorsson<sup>z</sup>* / *Ericus Kætillsson marscalcus* / *Johannes Hierne* / *Narwo Ingewaldzson* / *Vlpho Holgersson* / et *Vlpho Jonsson* milites / *Haquinus Jonsson* / *Hermannus de Owen* / *Gouto Eriksson*, *Ludouicus Euindason* / *Henricus<sup>aa</sup> Mikhelstorp<sup>ab</sup>* / *Kulbernus Kætillsson<sup>ac</sup>*, *Erlendus Philippusson*, *Otto Rømar<sup>ad</sup>* / et *Gerardus<sup>ae</sup> Kind<sup>af</sup>* armigeri · pro supradictis treugis et earum circumstanciis

quibuscumque ac pro omnibus et singulis aliis articulis suprascriptis firmiter et absque omni dolo obseruandis vna cum eodem domino nostro rege compromittimus bona fide, sigilla nostra vna cum sigillo ipsius domini nostri regis presentibus litteris in testimonium et maiorem euidenciam / apponentes. Actum et datum in castro nostro Bawahws, anno Domini Millesimo ccc<sup>o</sup> lxx<sup>mo</sup>, in octaua natiuitatis sancti *Johannis* baptiste ·

På baksidan: En bredebref *vnde* bes[...] to vj jaren twisken dem konung van Zweden *vnde* Norwegen *vnde* dessen steden

Sigill: alla 21 sigillen (ljust vax) är bevarade, de flesta i mycket gott skick. Namnet på de enskilda sigillanternas har skrivits (med annan medeltida hand) på uppvecket vid sigillskåran ifråga. Av särskilt intresse här: Linköpingsbiskopen Gotskalks sigill, runt, något skadat (tre sköldar) med omskriften [ + ] S' Gotscalci Dei gratia episcopi Li[ncopensis].

<sup>a</sup>Zwecie B. <sup>b</sup>Så A och B för väntat plenum. Antagligen har här skett en sammanblandning av plenum posse och plena potestas (jfr GMLS: posse 2, potestas 1b). <sup>c</sup>Lubeke B. <sup>d</sup>Hamborgh B. <sup>e</sup>Så B; saknas A (troligen utelämnat av misstag). <sup>f</sup>Stetyn B. <sup>g</sup>Colberghe B. <sup>h</sup>Culminis B. <sup>i</sup>Thorun B. <sup>j</sup>Koningsberghe B. <sup>k</sup>Härefter et B. <sup>l</sup>Sirixze B. <sup>m</sup>Middelborgh B. <sup>n</sup>Arremuden B. <sup>o</sup>Wuringhen B. <sup>p</sup>Herderwyc B. <sup>q</sup>Sutphanie B. <sup>r</sup>Hyndelœp B. <sup>s</sup>a B. <sup>t</sup>Över raden B. <sup>u</sup>Härefter utprickat ed B. <sup>v</sup>Bothulphus B. <sup>x</sup>Gozscalcus B. <sup>y</sup>Fynzson B. <sup>z</sup>Hafftorsson B.

<sup>aa</sup>Hinricus B. <sup>ab</sup>Michilstorp B. <sup>ac</sup>Ketilsson B. <sup>ad</sup>Romer B. <sup>ae</sup>Gherardus B. <sup>af</sup>Kynd B.